



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Quinta congregatio publica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Sedis Apostolicæ de latere Legato, Dei, & eiusdem Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Mediolanen. Deinde alta voce decreta plurima legit, quæ in constitutionibus huius synodi videre licet. quibus lectis, idem Secretarius dixit: Illustriss. & Reuerendiss. Domini, Reuerendissimisq; Patres, placent ne hæc omnia vobis? alter Secretarius vna cū Notarijs, accessit primò ad Illustriss. Metropolitanum, eumq; interrogavit an placent Decreta? qui respondit: Placent. Deinde accessit ad Illustrissimum Tranensem, qui dixit, placere sibi omnia cū protestatione iam facta: Iussitq; Secretarium præsentibus Notariis legere cedulam quandam; qui coram Illustriss. Domino Tranensi submissa voce eam legit, & est tenoris huiusmodi: Placet mihi, vti exemplo, virtute spontaneæ electionis per me factæ interessandi in presenti Synodo iuxta facultatē mihi concessam id faciendi à Decreto Concilii Tridentini, & cum reservationibus, protestationibus, ac aliis verbis, ac clausulis conservatorijs dictæ immunitatis, exemptionis, ac libertatis meæ, & meæ Ecclesiæ, & de quibus in instrumento regato per Dominam Notarium Synodi sub die 25. præsentis mensis Octobris, quæ etiam hic sint pro repetitis. & si in dicta Synodo quidquam hæc tenus dixi aut feci, in futurumq; dicam aut faciam, aliquo modo præjudiciale immunitati, libertati, & electioni meæ prædictis, id totum inhærendo, aliis relocationibus iam factis iteratè reuoco, & pro non dñe & facto haberi volo, nunc & in futurum, & sic prout supra respondeo, interfui & intersum, & non aliter nec alio modo. Cæteri Patres responderunt sim pliciter per verbum. Placent: excepto Reuerendiss. Vigleuanen, qui dixit: Non placet Decretum de duabus particulis sacra Eucharistia.

Relatis votis per Secretarium, Illustrissimus Dom. Metropolitanus dixit: Decreta placent omnibus præter unum, cui illud non placet, vt due particulae sacræ Hostiæ, cùm ad infirmos itur, à Sacerdote deferantur, & ideo Deo agendæ sunt gratiæ. Patres responderunt, Deo gratias: Secretarius qui erat in am-

Pars III.

bone legit decretum indictionis futuræ sessionis, ijsdem verbis, quibus & proxima fuit indicta: tum Promotor Notarios rogauit, vt supra, & hymno dicto, Te Deum laudamus, omnes recesserunt. Interfuerunt autem huic sessioni, præter Reuerendiss. Patres Dominos Episcopos, Procuratores Episcoporum absentium, Capitulorum Cathedralium Ecclesiarum, & Cleri Ciuitatum, Proto notarij multi, Abbates, Commendatarii, Præpositi sacerulares & regulares, & Excellentissimus Senatus Mediolanen. cum quamplurimis nobilissimis viris.

### Quinta Congregatio publica.

**H**abitæ sunt deinde multæ aliae congregations publicæ, in quibus decreta in proxima sessione publicâda Partibus proponebantur, ac si que in ijs essent difficultates, discutiendæ proponebantur: sed nè paulò iusto longiores videbemur, ea omnia silentio inuoluere satius visum est nobis.

1565. Die Veneris 2. Mensis Novembris mane.

**I**N Congregatione priuatum habita, Patres cum iam finem Concilij instare viderent, & aliqua tractata, sed nondum plenè discussa superessent; Decreuerunt remittere ad Illustrissimum Metropolitanum decreta confienda super matteriis infra scriptis videlicet.

De obseruandis à præparatoribus.

De visitatione.

De modo exequendi functiones sacrorum & minorum ordinum. Volueruntq; vt Decreta super his ab eodé Illustriss. Metropolitanano condita, eandem auctoritatem haberent, ac si in publica congregatione fierent. Et quia reformatio Monialium in pluribus Congregationibus tractata ac discussa, & comprobata erat; super ea tamè decreta latina lingua adhuc condita non fuerant, sed vulgari lingua scripta erant, remiserunt Patres eidem Illustriss. D. vt iuxta consensum Patrum super eam Decreta edi curaret.

Tractatum præterea fuit inter patres de confiatio libello casuum reseruat-

I rum